FIGVRA ECLEIPSIS PLANA coronationis Caroli.



Ideor itaq; michi iam satis superq; vniuersas eclipsium rationes declarasse, adeo, vt nullam non quilibet per se qualicunq; tandem sit forma statim agnoscere, in planoq; depingere ob oculos queat. Verum adhuc amplius nequid summæ fidei deesse quis dicere possit, coronidem, vt dicitur, siue appendicẽ adhuc adiicere aliquam volumus. Annum coronationis (quæ Bononiæ Italiæ vrbe, dubium, an potentia, an omnigena doctrinarum copia præcellentiora, celebrata est) nunq̃ non memorabilem CAROLI Imperatoris Rhomanorum Quinti, annum scz 1530. Hunc per instrumentum lustranti mihi, apparebat 6 Octobris die defectus Lunæ fieri posse. Relegenti igitur oppositionis momentum. Hora 12 M 31 meridiano Ingolstadiensi quadrans, Bononiensi autem, additis 10 M, (quoniam orientalior tot minutis Bononia est Ingolstadio) offerebatur. Tempore oppositionis veræ diebus non æquatis oblato, motus insuper eclipsi habendæ necessarii quæsiti sunt, quales fuerunt. Verus locus ☽ 22 G 44 M ♈. Verus locus ☊ 20 G 4 M ♎. Argumentum Lunæ verum S 4 G 15 M 19. Argumentum ☉ S 3 G 27 M 18. Planum ad hæc, seu Papiraceum, seu ligneum malis, præponens, orthogonales duas in centro A coëuntes, erigo. Argumentum latitudinis principiò vidẽs, S 6 & graduum aliquot, iccirco à puncto T, vt dictum est, lineam rectã M A T vocatã duco. In instrumẽto semidiametrali, Solis Argumentum, quod est, S 3 G 27 M 18 cum filo signanti circulus vmbræ varietatæ 40 Z ostendit reseruanda. Filum deinceps Argumento Lunæ vero, Signis 4 G 15 M 19 supertẽsum intercipit circulum areę nigrantis, internum in puncto M, externum in O, Accipienti iam distantiam M à centro instrumenti, vera quantitas semidiametri Lunaris exhibetur. Interuallum vero inter M & O semidiametros vmbræ, quo tempore Luna transit, dicetur, excepto quod 40 Z prius habita, subtrahere oporteat ab O versus N eunti, id quod euenit in puncto L. Intercapedo illa circini iam in plano circulum faciat, qui vmbræ quantitas cum sit, literis O S R Q inscribatur. Post hæc Argumenti latitudinalis distantia sumpto è dispositorio dicto, in plano quoq; ab A centro incipienti extensa, cum litera M notetur. Corporis Lunæ, semidiametrum quæ refert, dimẽsio resumpta, circulum, A parte ex M puncto disignet, illa enim circulus veram Lunæ quantitatem, Lunæ inquam sub vmbra contentæ, verè ostendit. Eandem igitur semidiametrum Lunæ ab R versus T, fini L literam apponens, extende. Ex centro vero A per idem L punctum circulus fiat. Perpendicularis itidem è puncto M erigatur, ita, vt circulus ille iam ductus ex A centro perpendicularem in punctis R & N contrectet. Ex eisdem punctis R & N circuli Lunæ quãtitatem repræsentantes, describantur, vnde manifestum fit, quando Luna ab N ad M, & ab M vsq; in K promoueat, & remotius quiddam in fine quam in principio ab ecliptica distet. Hic vsu cum veniat, vmbram latissime corpus Lunæ obtegere, dictum vero prius sit, 12 eclíptices saltem esse puncta, idem repetere in præsentia cogimur. Res autem ita se habet. Quoties videtur vmbra 12 Lunæ sectiones excedere, metienda est, quot punctis excessus fiat, proportione Lunaris dimensio seruata. Cum autem præsens figura vmbram 6 partibus superare Lunam doceat, 18 punctorum defectus fieri censendus est. Hoc autem sic intelligitur, non q; Luna tot punctis constet, sed si tot constaret, eam obnigrari ab vmbra posse, quæ res in præsenti figura ob oculos ponitur.

Coronatio CAROLI Bononiæ facta.

Quid

FIGVRA EXEMPLARIS SEQVITVR



